

## BREVIS INTERPRETATIO

HVIVS QVINTI LIBRI, INCERTI AVTORIS.

Scopus huius quinti libri est is, ut tractetur de proportionib. Pertinet enim liber iste & ad geometriã, ac arithmeticã & musicã, omnesq; alias quæ simpliciter mathematicæ disciplinæ uocantur. Etenim quæ in ipso traduntur, non geometricis solum contemplationibus cõueniunt, illisq; propria existunt, sed & omnib. quæ sub mathematica ipsa cõprehenduntur, & ut prius dixi, disciplinis. Sit igitur hic libri scopus. Cæterum librũ ipsum cuiusdã Eudoxi inuentũ esse asserunt, discipuli Platonis. Cũ igitur sit scopus de proportionib. proportio aut sit rationũ quarundã habitudo: quæ sint illæ rationes, prius cognoscendum erit necessariò. Oportet enim simpliciũ cognitionẽ præcedere, q̃ de cõpositis dicatur aliquid. Itaq; si quædam inter se cõparentur (sumamus aut duas magnitudines) illæ quidem Termini appellabuntur, transmutatio aut siue trãsitus ab uno in alterũ, Interuallum dicitur. Cõparatio uerò alterius ad alterũ, Habitudo uocatur, quam ueteres Rationẽ nominauerunt. Collationem uerò huiuscemodi rationis ad aliã rationẽ, quæ sit similitudine quadã, aut eiuscemodi habitudinem, appellarunt Proportionẽ, nõ perinde quasi magnitudo illa cõparet, sed ut illa ratio ad illã rationẽ: quæ deinde collatio, Rationis ratio dicitur, ut si duæ fuerint rectæ lineæ, quarũ una alterius respectu duplam habeat rationem: quadratum quod ab ea linea est descriptum, quæ duplam rationem habet, quadruplã quoq; rationẽ habebit, respectu uidelicet eius quadrati, quod ab altera est descriptũ, siquidẽ collatio habeat longioris lineæ ad breuiorẽ rectã. Quæ enim lõgitudine dupla sunt: ea potẽtia quadrupla existunt. Ratio igitur quadratorũ quadrupla existens, duplæ rationis existentium rectarũ dupla est. Talis aut uocat Rationis ratio. Sed fuerit illa in quãtitate, duplex enim est ratio, una in dignitate, altera uerò quantitatatis, ac dignioris quidẽ nulla species uidetur esse ad presentẽ usum accommodata: huius uerò rationis, quæ secundũ quantitatẽ dicitur, species sunt quinque. Alia enim ratio Multiplex appellatur: cuiusmodi est 6 ad 3: alia Superparticularis, ut 4 ad 3: alia uerò Superpartiens, ut 5 ad 3. atq; hæ quidẽ sunt Simples, quarũ tamen omnium rationũ magis simplex est Multiplex. Reliquæ uerò duę species ex harũ nascuntur cõpositione, Multiplex superparticularis scilicet, ut 7 ad 3: & Multiplex superpartiens, ut 8 ad 3. Sub rationes aut uocantur, cum minores maiorib. cõferuntur: Submultiplices, Subsuperparticulares, Subsuperpartientes, & sic deinceps. Sciendum aut, diuidi hunc librũ in duas partes, et initiò quidẽ simpliciũ cõtinet doctrinã, hoc est, eam quæ de multiplicib. tractat, deinde uniuersaliora de omnib. rationib. traduntur. Oportet enim, ut iã ostẽsum est, in omni re simpliciũ doctrinã præcedere. Si quis aut cõsideret modũ diuisionis, terminorum etiã diuisio facta erit. Nã priores quidẽ, scilicet termini, Multiplices: qui autem deinceps sequuntur uniuersaliores, de omnibus rationibus.